

Council of Gangra

**INCIPIUNT CAPITULA GANGRENSIS CONCILII POST NICEAM SYNODUM
EDITUM**

- I. *De his, qui nuptias damnant.*
II. *De his, qui carnem manducantes damnant.*
5 III. *Non debere servum occasione religionis dominum suum contempnere.*
III. *De oblatione presbiteri coniugati.*
V. *Orationes ecclesiae non debere contempnvi.*
VI. *Non debere extra ecclesiam congregari.*
VII. *De fructibus in ecclesiam, et non alibi dandis.*
10 VIII. *De his, quae in usus pauperum conferuntur.*
VIII. *Virginitati studentem non debere nuptias execrare.*
X. *De his; qui pro virginitate superbunt.*
XI. *Agapem fratrum non debere contempnvi.*
XII. *De continentibus et usu palliorum.*
15 XIII. *Non debere mulierem continentiae causa virilem habitum usurpare.*
XIII. *Non debere condemnantem nuptias a viro discedere.*
XV. *Non debere quemquam continentiae causa filios suos neglegere.*
XVI. *Ne filii occasione religionis parentes suos despiciant.*
XVII. *Caput tondere mulieri non licere.*
20 XVIII. *Non debere die dominico iejunare.*
XVIII. *Non licere communia iejunia solvere.*
XX. *Communicandum in basilicis martyrum.*

EXPLICIUNT CAPITULA

**INCIPIUNT GANGRENSE CONCILIUM POST NICEAM SYNODUM
EDITUM**

- 25 *DOMINIS HONORABILIBUS consacerdotibus in Armenia constitutis episcopis: Eusebius, Eulalius, Olipius, Phyletus, Pappus, Basilius, Bitinicus, Heracius, Ipatius, Bassus, Eugenius, Gregorius, Elianus, Pressius, Eugenius, qui convenerunt in Gangrense concilium, in domino salutem.*
- 30 *Quoniam conveniens sancta synodus episcoporum in Gangrensem ecclesiam propter quasdam ecclesiasticas et necessarias causas inquireendas et ea, quae secundum Eustachium gesta sunt, dinoscenda, invenit multa fieri indecenter ab his, qui eundem Eustachium secuti sunt, necessario statuit palam factis omnibus amputare universa, quae ab eodem male commissa sunt.*

1 GANGRENSIS] corrected from GANGRENSE 16 condemnantem] corrected from
contemnantem 17 suos] added above line neglegere] corrected from reddere 28–29 Ipatius ...
salutem] added in margin

Declaratum est enim hos eosdem nuptias accusare et docere, quod nullus in coniugali positus gradu spem habeat apud deum; unde factum est, ut multae mulieres seductae relictis propriis viris, et viri uxoribus destitutis, vinculum coniugale dissolverent, continentiam profitentes, quam, cum retinere non possent, adulterium commiserunt. Inventi sunt enim dissensiones ac separationes in dominicis ecclesiis docere, id est et traditiones ecclesiasticas et ea, quae in ecclesiis aguntur, debere contempni; privatis conventiculis institutis atque ad imitationem eorum, quae in domo dei aguntur, omnia presumere celebrare; adhuc etiam vestibus communibus spretis novos et insolitos habitus adsumpsisse; primitias quoque fructuum et oblationes eorum, quas veterum institutio ecclesiis tribuit, sibimet vindicasse, id est propria ratiocinatione doctrinae tamquam sanctis sibi eas offerri debere, apud se et inter se dispensandas; servos a dominis recedentes et per hunc inusitatum religionis suae habitum sub specie religionis dominos contempsisse; mulieres quoque praeter consuetudinem et sui sexus ornatum hinc se iustificare credentes virilem habitum suscepisse; pluresque earum occasione religionis tonsas genuini decoris comas penitus amputasse; ieunia, quae in ecclesia praedicantur, contempnenda asservisse; nonnullos etiam eorum cibos carnium tamquam inlicitos reputasse; in dominibus coniugatorum nec orationes quidem debere caelebrari persuasisse, in tantum ut easdem fieri vetent, et oblationibus, quae in dominibus factae fuerint, minime communicandum esse decerant; presbiteros vero, qui matrimonia contraxerunt, sperni debere dicunt, nec sacramenta, quae ab eis conficiuntur, attingi; loca sanctorum martyrum vel basilicas contempnere et omnes, qui illuc convenient et sacramenta conficiunt, reprehendere; divites fideles, qui in omnibus renuntiant quae possident, spem apud deum non habere; et multa alia, quae enumerare nulli possibile est, singulos quoque eorum pro suo arbitrio constituere. Unusquisque enim eorum per tales institutiones ab ecclesiastico canone recedens, tamquam proprias leges sibimet condidisse. Sed nec communis his omnibus et una sententia est; singuli enim, prout videtur et libet, accusationem ecclesiae nitendo, tamquam rector non sit, vel addit decreta vel minuit.

Propter hoc ergo, coactum est hoc concilium in Gangrensi ecclesia habitum canones istos exponere, quibus probantur memorati extra ecclesiam esse. Quod si per paenitentiam condemnaverint omnia haec, quae male senserunt, tamquam a se non bene prolata, acceptabiles fiant; atque ad eos singula, quae debent condemnare, synodus credidit exponenda. Quod si quis renuerit haec, quae hodie constituta sunt, tamquam hereticus anathematizatus et damnatus abiciatur. Et erit non solum incommunicatus, verum etiam ab ecclesia abiciatur extorris, donec deprecetur episcopus, et de universis quae poenes eos deprehensa atque detecta sunt, providerit quid horum susceperit observandum.

SI QUI NUPTIAS IN ACCUSATIONEM DUXERIT ET MULIEREM FIDELM AC RELIGIOSAM CUM VIRO SUO DORMIENTEM ABHominandam crediderit aut etiam accusandam, tamquam non posse coniugatos in regnum dei ingredi, anathema sit.

50 ieunia] corrected from ieuna **69** condemnare] corrected from contempnare **76** posse] corrected from sponse

39–40 in ... docere: a dominicis constitutis ecclesiarum Dei docere **H** **51** contempnenda asservisse: contempnendo ventri servisse **H** **61–62** condidisse: condidit **H** **66** extra: intra **H**

80 *II. Si quis carnem manducantem ex fide cum religione, praeter sanguinem et idolo immolatum et suffocatum, crediderit condemnandum, tamquam spem non habentem, quod eas manducat, anathema sit.*

III. Si quis servum alienum occasione religionis doceat dominum suum debere contempnere et eius ministerium destituere, ac non potius docuerit eum suo domino bona fide et cum omni honorificentia deservire, anathema sit.

85 *IV. Si quis discernit presbyterum coniugatum tamquam occasione nuptiarum, quod offerre non debeat, et ab eius oblatione ideo se abstinet, anathema sit.*

V. Si quis docet domum dei contemptibilem esse debere et congregaciones, quae in ea fiunt, anathema sit.

90 *VI. Si quis extra ecclesiam privatam populos congregans contempnat ecclesiasticas sanctiones, aliter ea quae sunt ecclesiae voluerit usurpare, non conveniente presbitero iuxta decretum episcopi, anathema sit, ipsamque ecclesiam apud se sine consilio episcopi cum presbitero agat, anathema sit.*

95 *VII. Si quis oblationes fructuum vel primitias ecclesiae debitas voluerit extra ecclesiam accipere aut dare praeter conscientiam episcopi vel eius, cui huiusmodi officia commissa sunt, et non magis cum consilio eiusdem haec agenda putaverit, anathema sit.*

VIII. Si quis dederit vel acceperit fructuum oblationes praeter episcopum vel eum qui constitutus est ab eo ad dispensandam misericordiam pauperibus, et qui dat et qui accipit, anathema sit.

100 *VIII. Si quis vel virginitatem vel continentiam professus tamquam abominabiles nuptias iudicat, et non propter solum hoc, quod continentiae et virginitatis bonum sanctum propositum sit, anathema sit.*

X. Si quis propter deum virginitatem professus, in coniugio positos per arrogantium vituperaverit, anathema sit.

82v

105 *XI. Si quis contempnendos duxerit agapem facientes et propter honorem domini fratres pauperes convocantes, et noluerit communicare vocationibus eorum, tamquam nihil quod fit dicens, anathema sit.*

110 *XII. Si quis virorum putaverit sancto proposito, id est continentiae, convenire, ut pallio utatur, tamquam ex eo iustitiam habiturus, et reprehendat vel iudicet alios, qui cum reverentia byrris utuntur et alia ueste communi, quae in usu est, anathema sit.*

XIII. Si qua mulier suo proposito utile iudicans, ut virili ueste utatur, ad hoc ut viri habitum imitetur, anathema sit.

XIV. Si qua mulier derelicto viro discedere voluerit soluto vinculo coniugali nuptias condemnando, anathema sit.

81 occasione] occa**sione **84** presbyterum] corrected from presbyter **92** fructuum] corrected from fructum **96** acceperit] corrected from acciperit fructuum] corrected from fructum **97** est added **100** continentiae] corrected from continentia **105** vocationibus] corrected from vocantibus **109** in] added usu] corrected from usus

89–90 aliter ... sit: An interpolation thus far known only in this codex, VI341 (where it is a marginal addition) and E97. **100** continentiae ... virginitatis: continentia (continentiae W411) et virginitas H

XV. *Si quis dereliquerit proprios filios et non eos aluerit, et quod pietatis est, necessaria non praebuerit, sed sub occasione continentiae neglegendos putaverit, anathema sit.*

115

XVI. *Si qui filii parentes, maxime fideles, deseruerint, occasione dei cultus hoc iustum esse iudicantes, et non potius debitum honorem parentibus reddiderint, ut hoc ipsum in eis venerentur, quod fideles sunt, anathema sit.*

120

XVII. *Quaecumque mulier, religioni iudicans convenire, comam sibi amputaverit, quam deus ad velamen eius et ad memoriam subiectionis illi dedit, tamquam resolvens ius subiectionis, anathema sit.*

XVIII. *Si quis, tamquam hoc continentiae convenire iudicans, die dominico ieunaverit, in eiusdem diei contemptum, anathema sit.*

125

XVIII. *Si quis eorum, qui in proposito sunt continentiae, praeter necessitatem corporalem superbiat et ieunia communia totius ecclesiae putaverit contempnenda, perfectam in sua scientia vindicans rationem, anathema sit.*

XX. *Si quis per superbiam tamquam perfectum se exaestimans, conventus qui per loca et basilicas sanctorum martyrum fiunt, vel accusaverit vel etiam oblationes, quae ibidem celebrantur, spernendas esse crediderit, memoriasque sanctorum contempnendas, anathema sit.*

130

Haec autem scripsimus, non abscentes eos, qui in ecclesia dei secundum scripturas sanctum propositum continentiae eligunt, sed eos, qui suscipiunt habitum eius et in superbiam efferuntur adversus eos, qui simplicius vivunt; sed et hos condempnamus, qui se extollunt adversus scripturas et ecclesiasticos canones et nova introducunt praecepta. Nos autem et virginitatem cum humilitate admiramus, et continentiam cum castitate et religione deo acceptissimam dicimus, et renuntiationem saecularium negotiorum atque actuum cum humilitate adprobanda laudamus, et nuptiarum vinculum, quod secundum castitatem secum perdurat honoramus, et divites cum iustitia et operibus bonis non abicimus, et parsimoniam cum veste humili non reprobamus, sicut etiam ornatum praeter corporis diligentiam infucatum laudamus; dissolutos autem et fractos in vestibus incessus non recipimus. Et domos dei honoramus et conventus, qui in his fiunt, tamquam sanctos et utiles recipimus, proprietatem in privatis domibus non concludentes, et omnem locum in nomine dei aedificatum honoramus, et congregationem in ecclesia factam ad utilitatem communem recipimus, et bona opera, quae supra vires in fratres pauperes exercentur, secundum ecclesiasticas traditiones beatificamus, et omnia, quae convenient traditionibus apostolicis et sanctorum scripturarum praeceptis, in ecclesia fieri exoptamus.

135

140

145

150

EXPLICIT GANGRENSE CONCILIUM, POST NICEAM SYNODUM EDITUM

129 superbiam] corrected from subiam 145 proprietatem] corrected from prietam

115 quod pietatis: quod ab eo secundum pietatis H 142 praeter: propter H 145 proprietatem: pietatem H; and compare V1341: prietatem corrected to privatim